



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata Heinrychi Bullingeri lib. IIII

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Christianis an sua iure liceat reposcere

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

IOIADA. Vere pij erant ueteres, & tamen nihilominus magistratu egerunt, non propter se sed propter malos. Nec dicimus de illo, si tales essemus, sed de illo quales iam sumus. Quandoquidē ergo non omnes sumus quales esse conuenit, necesse est ut habeamus quo carere non possumus. Si multas habere mus opes, nimirum essemus diuites: si multam eruditionem, docti nimirum essemus. Sed iam non conuenit ita colligere: ergo nobis nihil laborandum, nihil studendum. Si alas haberemus uolare possemus: quando quidem uero alas non habemus, pedibus ad incedendum opus est. SIMON. Res ergo nostrae nihil sunt & perdita plane. Non enim ueri Christiani sumus. IOIADA. Quamobrem? SIMON.

Quod adhuc tam imperfecti sumus ut magistratu nobis sit opus. IOIADA. An non intelligis magistratum esse propter malos, ut tuta sit inter nocentes probitas, et hoc deus ita ordinauit. SIMON.

Ordinatum hoc à deo esse non intelligo, quum Christus dicat: Nolite resistere malo. IOIADA. ^{Et tunc illis dicit istis} ^{et nolite resistere} ^{malis} ~~Ve~~ ^{ne} ~~quis~~ ^{ne} ~~priuatus~~ ^{ne} ~~ex~~ ^{ne} ~~affectu~~ ^{ne} ~~uindictet~~ ^{ne} ~~iniuriam,~~ ^{ne} ~~non~~ ^{ne} ~~uetat~~ ^{ne} ~~ut~~ ^{ne} ~~magistratus~~ ^{ne} ~~non~~ ^{ne} ~~feriat~~ ^{ne} ~~nocentes.~~ ^{ne} Nam potestas minister est dei, ad uindictam malorum. Item quod Christus dicit: Quum quis tibi ademerit pallium, da ei & tunicam, si ad locum Pauli, 1. Cor. 6. contuleris, inuenies non nihil mitigatam esse sententiam, quum in-

ter Christianos iudicia permittit pro rebus quæ ad uitæ rationem pertinent. SIMON. Si uerba Pauli diligenter excutias, inuenies Paulum id non permisisse Christianis. IOIADA. Sic habent uerba Pauli: Sustinet aliquis uestrum, negotium habens cum altero, iudicari sub iniustis iudicibus & nõ magis sub sanctis? An nescitis quod sancti mundum iudicabunt? Et si per uos iudicatur mundus, indigni estis minimis iudicijs? An nescitis quod angelos iudicabimus, nõ tantum ista quæ ad uictum pertinent? Proinde si iudicia siquidem habueritis, de ijs quæ ad uitæ usum attinent, qui contempti sunt in ecclesia, eos constituite. Ad erubescentiam uestram dico. Adeo non est inter uos sapiens? ne unus quidem? qui possit diiudicare inter fratrem suum & fratrem? Sed frater cum fratre litigat, idq; sub infidelibus? Itaq; iam quidem omnino peccatum in uobis est, quod lites habetis inter uos inuicem, cur non potius iniuriam patimini? cur non potius damnum accipitis? Imò uos iniuriam facitis, & damno afficitis, idq; fratres. Hæc Pauli uerba sunt, ex quibus discimus primum, potius iniuriam deuorandam nobis esse, aut damnum patiendum, quàm ut litigemus aut inuicem contendamus, quò & Christus Matthæi 5. spectat. Hoc uero si propter imbecillitatem & corruptionem carnis nostræ fieri omnino non potest, iam magistratus sunt, fora sunt, coram quibus hæc si quæ
 incidunt

incidunt transigantur, quo is qui iniuriam passus est uindictetur, & qui iniuriam intulit coërceatur. Iam qui sic coram iudice litigant pro rebus quæ ad uitæ usum pertinent, Christiani sunt, dicit enim Paulus: Frater fratri iniuriam facit: quos iubet, si omnino necesse est, ius petere coram iudicibus Christianis. Frater enim idem est qui Christianus. Postremo ex prædictis uerbis manifeste colligitur, Christianum posse gerere magistratum. Sanctos enim iudices constituit, sancti uero pro fidelibus ponuntur, quos contemptissimos in ecclesia eligi mauult, quàm ut infideles iudices adeât.

Ex his omnibus per epilogum colligimus, quando quidem ecclesia ex bonis & malis collecta & permixta est, & fideles, quamdiu hic uiuunt, in carne sunt, magistratu fidelibus opus esse. Et quum ueteres sancti & electi dei magistratu opus habuerunt, nobis hunc non minus necessarium & utilem esse.

QVOD PARENDVM SIT
magistratui.

SIMON.

Quæ ex Paulo adduxisti non adeo displicent, quod uero huic magistratui parendum sit, non uideo. IOIADA. Quid hoc? An potestati quæ ex deo est, parendum non esse cen-

III.
TRACT.